

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Simonius

**In Sophisticen Oratio Joannis Simonii ...**

Rostochii: Pedanus, 1622


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729274756>

Druck    Freier  Zugang



Limonius, Bo.

R. M. phil. 1622



part  
IN  
**SOPHISTI-**  
CEN  
ORATIO

JOANNIS SIMONII M.

Rhetorices in alma Rostochiensi

Academia P. P.



ROSTOCHII  
Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.  
ANNO  
M. DC. XXII.

Rapac 1622



# AUGUSTINO CLUPPELIO, GEDANENSI,

*Juveni, quā virtutem, quā doctrinam orna-  
tissimo, familiari meo,*

S. D.

**T**EERRIMUM SOPHISTICES monstrum  
his pagellis exhibeo: cuius tamen vix primæ à me  
lineæ ductæ. Quam dissertatiunculam cum ante  
compluseculos annos ex cathedra dedissem, nec hactenus  
publici juris esset facta: volui nunc eam, ornatissime  
**AUGUSTINE**, sub nomine tuo exire. Multus enim es  
in ijs studijs, quibus qui benè excultis sunt, hi nec fallunt  
alios, nec facile falluntur ab alijs; præsertim si accedat  
natura, Sophisticationibus inimica: quæ se in te exercit  
non contempnenda. Cumq; meus sis domesticus &  
familiaris: quod ego in parte amicitia præcipua pono:  
volui meæ quoq; in te benevolentia signum cùm ad altos  
tum ad tuos extare. Judicant quidem mulii hæc dæge  
dæge; sed quod candido animo à me est profectum, tu  
pari studium hoc meum accipies: viam autem ad veram  
tum virtutem tum eruditionem, quam ingressus es, gnavi-  
ter cum Deo sectaberis atq; tueberis. B. V. Rostochij  
a. d. 20. Julij 1622.

*JOANNES SIMONIUS.*



## IN SOPHISTICEN.



Ulm ad ea studia, à quibus mihi Pronuncia-  
aliqua his temporibus data fuit va-  
catio, redeundum esset. Auditores:  
docendiq; partes, quas in hac littoris

ta est hæc  
oratio men-  
se Junio  
1611.

Balchici sacerpta illustrissimorum &  
præcessimorum Ducum Megapoli-  
tanorum clementissima voluntate.

Sustineo, repetenda: viñum fuit fa-  
ciendum, ne id sine quodam, ut vocant, prosilio, vel illotis,  
quod dicitur, manibus, facerem; sed, ut novam lectionem exor-  
surus, afferrem, quod vel cognitujucundum, vel auditu gra-  
tum, vel certè ad vitam utile foret. Non ignorabam quidem,  
quām hoc sit difficile, in tām in primis proclivi quorundam,  
quidvis carpendi atq; reprehendendi petulantia atq; cupidita-  
te; neq; tamen ignorabam quām frivolum sit, si quis eam, in-  
qualocatus est, stationem propter imperitorum voculationes  
deserat: esse autem multò magis cuīq; in id incumbendum,  
ut, omni vi, omnīq; studio suam exornet tueaturq; spartam.

Cogitanti autem mihi, quid in tanta rerum varietate po-  
tissimum feligrem, cūm in omnes vita partes oculos animumq;  
circumferrem, occurrit hujus seculi deploranda vanitas, & im-  
mensus corrumpendi, quā vera sunt, ardor, sacraq; propemo-  
dum, non tām auri, quām Sophistica famēs. In eam aliquid  
hoc tempore dicere constitui: &, se per vestram, Auditores,  
benevolentiam, id quod sperorogoq; licebit: primò quām de-  
testanda, quamq; abominanda sit Sophistice, ostendam;  
deinde, quibus id vitium artibus effugere debeamus, paucis  
docebo.

dico. Divinam eternamq; veritatem supplicibus votis in-  
voco, ut mentem linguamq; dirigat, ne mihi aliquod verbum  
excidat, quod, in Sophisticam dictum, posse audire Sophisticum.

Principio, Auditores, nullum est dubium, quin vox So-  
phisticæ claram fuerit honesta rei appellatio, non minus atq; ejus  
origo, unde ipsa descendit atq; proficit. Olim enim Iudeorum  
Doctores, Hieronymo teste, Sophi à plebe sunt dicti. Nec  
incogniti sunt sapientie studiosis septem Græciæ sapientes.  
Romani quoq; cum laudare aliquem vellent, quod doctè omnia  
dixisset, aut prudenter fecisset, οφθαλμοι appellabant, vel mox ac-  
clamabant, οφθαλμοι, h. e. scitè, doctè, acutè, sapientè. Ad  
eundem modum Sophistæ quondam dicti sunt, non tantum quos  
Pythagoras primò omnium Philosophos nominavit, sed etiam  
legum Doctores, quos hodiè Jurisconsultos appellamus. Ve-  
rum, ut Pape, & Tyranni, & Magorum, & hostis, & id ge-  
nus alia voce à primava significatione recesserunt; sic & So-  
phistarum nomen vim suam amisit, & in eo remansit, qui doctis  
dolis & facetis fabricis ludit, hominesq;, fraudibus artificio te-  
stis de industria decipit. Quod quantum probrum sit, mecum,  
Auditores, cognoscite.

Ac profectò, si nihil aliud dicerem, quam Sophisticam  
esse fictam quandam sapientiæ umbram, qua mendacia spe-  
cie veritatis ornat, fallacibus conclusiunculis adversarium de-  
cipit, falsas opiniones, malasq; causas fuscis pretextibus non-  
nunquam etiam vi tuetur: si nihil, inquam, aliud dicerem;  
jam credo, vos, Auditores, intelligere, quantâ in turpi defor-  
mitate, quamq; deformi turpitudine Sophistice constituta sit.  
Sed, quemadmodum palatium aliquod se quis ingressus cumpri-  
mis lautum, in quo nec magnificètiam, nec elegantiam des-  
deres, non antè viderit aut cognoverit conditas in eo divitias  
ac delicias, cateraq;, quæ in sui admirationem humanum ani-  
mum vocare solent; quam atriensis omnes illius palati pars  
recla-

recluserit, recessus intimos patefecerit, omniaq; tum ornamenti-  
ta, tum insignia ob oculos exposuerit: ita nemo Sophistes tur-  
pitudinem penitus penitus agnoscere poterit, nisi ejus natu-  
ram in rebus, quas ipsa infestat, contemplandam sibi proposue-  
rit. Vagatur enim hæc pestis per omnes mundi angulos;  
non tuum est ab ea Aquilo, non Eurus, non occidens, non occa-  
sus: omnia perreptat loca, in omnes vitæ partes se immiscet.  
Eius malignitatem experuntur tempa: improbitatem exti-  
mescunt res pub. vim execrantur schola: hujus aculeos habet  
in se defixos forums sentiunt subsellias; percipit vita privata.

Primo enim, Auditores, Sophistice arcem salutis generis  
humani, Theologiam invasit: quod ut quasi oculis coram  
lustremus, ut q; hic in rem presentem veniamus: agite aspicio-  
mum serpentem illum antiquum; Sophistam in mundo pri-  
mum, Sophistarum omnium Patriarcham & parentem, Diabo-  
lum; sophisticatione sua protoplastos nostros, de gradu summo  
dejectos, in horribile exitij nullo evo terminandi barathrum,  
principes agentem. Non arborem sceleratus vituperat, ut  
hominem subruat: non fructus Paradisi calumniatur, ut Evam  
despoliet; non calum, non astra, non plantas, non ullam aliam  
creataram contumelia lacebit, ut genus humanum depeculetur:  
ipsum verbum Dei fraudulenter invadit: vocem Domini ex  
insidijs adoritur: in id, quod Ihesus dixerat, malitiosè au-  
docter q; impetum facit. Dixerat Dominus Ada: de ligno  
scientiae boni & mali ne comedere. Quid serpens? dixit  
serpens ad mulierem: non præcepit vobis Deus, ut come-  
deretis ex omni ligno Paradisi, Confirmaverat Deus Ada-  
mo, quocunq; die ex ligno isto comedere, eum morte-  
moriturum. Quid serpens? dixit serpens ad mulierem:  
nequaquam moriemini. O astutiam nunquam auditam!  
O vafricem plusquam serpentinam! Deus hominem ad ver-  
bum suum conceptis verbis severè alligaverat: serpens homi-  
nem

nem à Dei verbo liberum factum ad suas nugas subdolè abducit. Deus ille, extra quem non est Deus, homini praeceptum de non manducando sine ulla ambagibus dederat: Serpens, Deo vero fictitium ac novum obducens, astutè aliud verbum ac praeceptum fingit, hominemq; fallacibus, ex nuper ipsis in omnes reliquas creaturas concessò imperio, confitit conclusiunculis illaqueatum ad dubitationem impellit. Deus, nulla circuitione usw, hominem, mandato non parentem, moriturum, edisse ruerat: serpens animadvertisens, hominem relicto Dei verbo ad alium doctorem audiendum paratum ac promtum, quām potest flagitosissimè Deum mendacijs arguit, eumq; reum invida & crudelitatis facit, perjurus Sanctissimum, homicida largitorem vite, creatura cretorem, Satanam Jehovam. Hem vobis, Auditores, technas inauditas! hem rabiem execrandam! audaciam aternis vinculis dignam! Hic ergo, Auditores, hic est ipissimus fons omnis non solum miseriae, sed etiam sophistificationis, quā Ecclesia & verbum Dei semper omnibus seculis exagitatur atq; divexatur. Hic enim serpens primum inter homines natos sophistarum excitavit Cainum, primum dissidij & schismatis in catu piorum inter homines natos auctorem, hypocritica & sanguinaria Ecclesia genitorem, turpisima artis scelerate & insidiosè dicta & facta, pro recte & candidè dictis, factisq; venditandi, inventorem: deniq; eorum, qui doctrinam, vera Ecclesia propriam contortis & aculeatis sophismatisbus omni tempore corruerunt, parentem atq; caput. Itaq; ex Caini officina, diabolo obstetricante, tanquam ex lacu infernali cicada Apocalypticæ, prodierunt omnes Pseudopropheta, Pseudoapostoli, falsi Doctores omnes. Ac quidem hic video, Auditores, quantus se mihi dicendi campus aperiat, si horum Sophistarum catalogum quandam contexerem: sed uno Ario contentus ero: quem unum qui novit, omnes noverit. Hunc ergo Arium, Auditores, mecum aspicite, & in hoc uno omnes Sophista-

phistarum omnium dolos ac fraudes discite. Dociebat Arius  
publicè Christum esse Deum: sed ad suos progressus hanc so-  
phisticationem addebat: quemadmodum magistratus & Reges  
vocantur Dj. Eundem confirmabat esse verum Deum: sed  
eo modo, quo illa, qua Deus creavit, omnia verè existunt & ve-  
rè creata sunt. Eundem publicè profiebatur esse Filium Dei:  
verum inter privatos parietes suis hoc delinimentum propina-  
bat, ita esse Filium Dei, quemadmodum nos sumus filii Dei. Sed  
quis omnes argutiarum Arianarum versutias dicendo comple-  
cti poset? qua quidem tandem ita excreverunt, ut pricipiam  
genus humani partem fascinarent, cum ferè optimi quiq;  
impietatem Arii recuperent, vel suffarcinatis conciliatio-  
nibus foverent. Quemadmodum enim servi in comœdys in  
hoc se magnificè efferunt, habere vim tantam in se & poten-  
tiam tanta astutia, ut apparenter vera dicendo multos simul  
fallant: sic istis temporibus excogitarunt homines fanatici sy-  
cophanticas formulas, quibus ab utraq; & orthodoxa & bare-  
tica, parte receptis judicabant dispidium Arianum sublatum  
iri: quod tamen tantum absuit, ut hac ratione consequerentur,  
ut majus truculentiusq; malum illud suppuratis hujusmodi  
medicationibus facerent. Nam si vel ad superiora Patrum  
nostrorum, vel ad hac nostra etiam tempora oculos conver-  
terimus, Auditores: prorsus eandem mutatis personis fabu-  
lam agi deprehendemus. Non defuerunt olim, nec adhuc de-  
sunt Pseudoli, Palastriones, Phormiones, ad palliandas tun-  
c Papistarum, tum alias abominationes, mercede conducti, Ec-  
citus, Pierias, Cajetanus, Sorbonista, Sphyngis Augustana condi-  
tores, & non nominandi Jesuitæ, idq; genus aliq; permuli. Quod  
cum deplorandum sit: tum quis satis lacrymarum inveniet,  
quibus lamentetur miseriam hanc, inveniri inter ejusdem  
confessionis, qua orthodoxam se perhibet, socios, qui sophisticâ  
miserè ludant, qua non solum absurdâ dogmata pingunt, sed  
nervos

meritos etiam querunt suis quibusdam opinionibus. Regi Demetrio mense Martio Athenas venienti, & Eleusinijs sacris, quibus duo menses November & Augustus attribui erant, initiari cupienti, non posse se salvis sacris gratificari, populus Atticus censuit, nisi legem ferrent de mensium nominibus mutandis. Tali sophistificationis generelusum esse; si ex nostri seculi tantum non sanguinarijs velitationibus non deprehendis: certe superiorum temporum, de Justitia originali, de abstracto & concreto, de necessitate operum, de peccato, de libertate voluntatis humanae, de rota interimistica abominatione degl. alijs doctrinae caelestis partibus, immenes illa, ex fervore disputationis non nunquam exorta, controversia te docebunt. O verò nefandam sophisticam! que verbum Dei, unicam salutis hominum per trax, aggredi, suisq; argutij infestare atq; corrumpere non veretur.

Agite verò ut ad Politicum statum nostra deveniat oratio: prò Deum immortalem, quam frequens, quam recepta est in partibus ejus gubernandis sophistices usurpatio! quam misericè accubui hic sunt sycophanta! quam assidui Sophista! Quod quam definiamus, Auditores, prius videndum erit, an omnia planè sophismata sint ex Reipublicæ administratione tollenda? Difficilis profectò quæstio, & multis fatigata controversijs. Et enim, ut una Veritatis oratio, & facies sic boni viri, non fraude neg, doctis dolis, sed palam & aperte fronde agere. Et illud observatum, quasdam gentes à dobris machinationibus adeò abhoruisse, ut potius sua salutis jaduram facere, quam subdolè alteri detrahere mallent. Ex quibus efficiuntur, qui existimant, nequaquam esse locum sophismatum in republica dandum. Sed, cum tamen vivamus inter argutos & malos, qui ex fraude fallacijsq; toti constare videantur: cum ad eas res, quibus evertuntur res publicæ, averteremur, suprema illa lex & omnium domina doctis nos dolis

dolis uti interdum suadeat, idq; suo propemodum jure flagitet: his ergo rationibus adducti nonnulli statuerunt: posse fraudes in regnis simul atq; defendendis servandusq; adhiberi, atq; admitti. Atq; hoc est anceps illa de arcans in re publica administratio ne disceptatio qua, ut opinor, decidere recte poterit, si fines con stituantur certi, intra quos sese sophismata ista contineant.

Primò enim omnium fraudem & perfidiam abesse ab ejus modi machinationibus oportet; nec enim totius injustitia ulla capitalior est, quam eorum, qui tūm, cū maximè fallunt, tamen id agunt, ut boni viri esse videantur. Deinde, ut bono fine fiant & adhibeantur delinimenta ista, nece se est, quemadmodum enim strategemata in bello ad victoriam Ducas: sic aucupia ista ad quietem re publicæ justè atq; legitimè exerceri debent. Quare, quemadmodum medici suos dolos, quibus aegrotum valetudinis restituenda causa circum veniunt: ut Pictores colorum facios: Mathematici fictiones habent, & ipsi Jurisconsulti suas imaginarias venditiones sine fraude celebrant. Ita existimatum est, cum incident tempora, in quibus solertia ingenium, providentia consilium, gubernatio collidatam requirit atq; desiderat, posse, bono re publicæ arca na, nihil perfidia in se habentia, usurpari. Qui locus tamen valde lubricus est, & ad lapsum proclivus. Cum enim tanta omnium rerum existat ignorantia: ut nobis videatur bonum, quod revera tale non sit: sit, ut boni usurpacio non raro etiam eos, qui sibi sapientia arrogant nomen, turpisimè decipiatur. Atq; hoc ipsa causa est, cur ij. qui in negotijs publicis versantur, fateri cogantur; id quod de foro servientibus Plinius scribit: se invitatos etiam aliquid mali addiscentes sapissimè aliquid deli mali dolo bono admiscere solere, non secu ac venena medica mentis miscentur. Quæcum ita sint, fugienda est omnino in his sophismatibus exercendis turpitudos dandaq; est opera, ut boni publici causa adhibita sacru cum præceptu ne pugnant,

B

neg

neg*ij*s aduersantur. Detestanda est enim omnis reipublicae  
vel ornanda vel amplificanda ratio, quae contra Deum, contraq*z*  
ipsius in verbo definitam expressamq*e* voluntatem suscipitur.  
Quare quis fraudum architectos, impietatis magistros, justi-  
tia & virtutis praetores capitales, quos inter Machiavellum,  
principatum tenere multi praeclarri viri iudicant; non deteste-  
tur execraturq*e*? Etenim quis has voces unquam probet bo-  
num? insidiosè, simulatè, fallaciter, Imperator, Reges, Prin-  
cipes agite: si qui secus censem, pueri estis. & rursus, le-  
ves ego fraudes suadeo, medias tolero, magnas verbo  
quidem damno, te autem ipsa permitto. Cui, inquam, pla-  
cere possunt ha*ec* voces tribunitia*s*? Mibi certè non fit veris-  
mili, quod cum honestate pugnat, quod à ratione alicunum est;  
quod præceptis sacris non consonat; id in laude esse ponendum;  
licet vel ab ipso Delphico oraculo fuerit profectum. Sed Ma-  
chiavellicos dolos mihi refutare non est hic propositum. Ex ijs  
autem, quae diximus, patet, quae sophismata politica condemne-  
mus, quae vero admittamus atq*e* comprehendamus. Sed, quemad-  
modum tellus in fovendis illis, quae sua sponte nascuntur, pro-  
clivior est & promptior, quam in his, quae diligentie cura prove-  
niunt: ita hominum ingenia foecundiora sunt ad fraudes  
excogitandas, quam ad ea consilia, quae nulla turpitudinis fe-  
ce permista sunt. Ex quo sit, ut paucissimos regiam in usur-  
pandis sophismatibus viam ingredi: multos videoas liberè frau-  
dibus in gerenda republica esse usos. Desideratis exempla, Au-  
ditores? Accipite ex media historia, si vultis, pauca. Neg*e*  
enim ignotus est vobis Romanus ille, qui dimidium navium  
cum Antiochopactu, dissecari omnes naves curavit, & tra-  
bes sedes dividi, ut dimidium Regi relinqueretur. Nec ob-  
scurus est Alius, quisquis tandem fuerit, qui aliquot dierum  
indicias cum hoste pactu, noctu populabatur agros; quod die-  
num non noctuum fact*e* essent inducia. Quid dicam de Spar-  
tanis?

tanis? quorum totum regnum unicā & solā sophistica administratum fuisse: ex Andromaches apud Euripidem querelā est videre. Nec enim in bello tantum, sed & in tegata administratione fraudes frequentatas compertum est, idq; non sine generis humani dispendio. Quæ enim de Tyrannide occultas constituenda Aristoteles, non tam præcipiendi quam cœvendi causa, scripserait: ex ijs homines Sycophantici omnibus seculis suas fraudes hauserunt. Hinc sophismata apud Aristophanem popularia: hinc blandimenta & tela patrum Livianæ: hinc tot imperij, tot dominationis apud Tacitum secreta, impia illa & abominandas hinc consiliorum in dominibus Imperatorum arcana: hinc ἀπεργία; hinc ἀρρενός; hinc lex personata: hinc deniq; tot semper orbem terrarum vastantia mala. Utinam enim Auditores, hac pestis se intra Ethnicorum pomaria tantum contiuisset nec latius evagata, sanctam Dei civitatem infecisset! Verum hic quoq; dolor, accedit, quod Poeta dixit: Iliacos intra muros peccatur & extra. Nec vero solum gregarios in Ecclesia Dei milites hoc malum, veneno suo imbuit; non Achitophel, non Joab, non Achab, egregij olim in populo Iehova sophista soli fuerunt: ipse ipissimus David, Propheta ille regis, vir ad gustum Dei, non curuit hac macula, cum Uriam & uxore & vitâ astutissimâ suis consilijs uno eodemq; tempore privaret. Quid de nostris moribus dicam, Auditores? negemnè Machiavellicam temporis hujus infamiam? abnuemnè sophismata impia, & ad deipiendos alios comparata? Sunt sunt hec ita clara, ita conspicua, atq; Sol est, cum stat medio cælo nullis nubibus tectus. Atq; ut ne cetera, qua penè infinita sunt, dicendo consector, nonnè videas sapè homines suffarinatos, propriæ sapientia persuasione tumidos, harmostas, qui cum id agant, id pugnant, id pedibus manibusq; contendant, ut tibi incommodent, tamen juratò promittere ausint, sibi tuâ salute nihil esse carius, se unum tibi benè

benè capere, se certa sinceraq; nec unquam intermoritura be-  
nevolentia atq; amicitia te amplecti? Rursus non videas nul-  
lum qui, ceu Sycophanta apud Plantum ab herbo, sic à suis pra-  
dicari cupiat: ut ego propter perfidiam tuam te amo, i.e.  
metuo, te magnifico! quid multis? catus, ut in fabulis est,  
captum gallum cum vellet jure occidisse, nihil intermisit eorum,  
que ad aliquam criminis, cuius gallum reum faceret, culpam  
pertinerent: tandem cum nihil inveniret, animi caussa se gal-  
lum jugulaturum dixit: pari modo videoas, qui, superbia  
& crudelitate astuentes, nimium quantum sibi placeant, si ex-  
se inveniant, quo id, quod ab alijs rectè sit & dicitur, culpent:  
si injustè factis norint causam qualemcumq; pratexere, aut in-  
nocuos prestigijs suis defraudare, circumvenire, everttere.

Percipere vos arbitror, Auditores, Sophistices faditatemi  
cum qua sunt inter homines maxima, h.e. Ecclesiam & Res-  
publicas contaminare non reformidet. De Scholis ut idem  
probem, vix puto opus esse: cum Sophistica in illis ferè & nata  
& aucta & alita sit, quod nunquam affirmarem, nisi Sophista-  
rum veterum natio & historia unicuiq;, rectè de his rebus sen-  
tienti, nota esset: nisiq; urgeremur proverbio communi: quo  
doctiores perversiores perhibentur. Quod ipsum adeò inde  
nostro ordini evenire judico, quod multi abundantes ingenio  
existant, qui in studijs suis non preponunt sibi, quem debent, si-  
nem, ut veritatem eruant ac patefaciant, sed in eo solo cogitatio-  
nes suas fixas habent, quomodo de omnibus rebus prodigosâ ve-  
ritate disputantes consulentesq; inclarescant, aut inde ditescant.  
Hi quidem ea, qua amplexantur, amplificant in immensum:  
qua non amant, extremè abjiciunt; dicunt vicina pro veris:  
miscent non coherentia: distrahunt ea, qua non conjungi oportet;  
perinde, ac si Centauros ac Chimaras pinguerent: tandem  
nihil propriè nihil disertè, nihil candidè dicunt. Atq; cum hoc  
multis, qui docti sunt, usuvenias; tūm verò id ipsum ab his,  
qui,

qui, cum vix prima eruditionis initia degustârint, sibi tamen, falsâ, quam conceperunt, opinione ducti, persvasum habent, se esse omnium primos, se cōx édōrēs, tūs édōrēw cōx édōrē  
m̄d̄r̄wsl̄q̄s ēvāj, quorum maxima ubiq̄, seges est, toto die  
fieri; ecquis tām cacus est, ut non videat? tām vecors, ut non  
intelligat? tām stupidus, ut non sentiat? Hac ergo, hac est  
fundis nostri calamitas! an non enim horum culpa committi-  
tur, ut totus ordo malè audiat? à pessimis pessime tractetur?  
calumnij & convitij, que nonnulli à φ' αμάζηc evomere  
non verentur, per domos Magnatum miseris modis traduce-  
tur?

Quid porrò de Foro dicam? quod & ipsum hac rabies  
occupavit atq; obsecrit. Unde etenim tot tamq; mirificæ ad cur-  
sum causarum uel inhibendum, vel in infinitum extendendum  
excitatæ exceptiones? à Sophistica. unde pia judiciorum  
fraudes? & has eadem genuit. unde tot tamq; multiplices cau-  
telarum decipula? unde legum eludendarum præstigia? ab  
eadem procreatrice. Ac, ne hic longius abeam Auditores, uni-  
cum mihi Critiam videte, ejusq; singularem versutiam per-  
pendite. Legem quondam condiderant triginta Viri Athenis,  
ne quis ex catalogo suo indicta causa interficeretur. Therame-  
nem verò, quod moderatior esset, Critias homo turbulentus sub-  
latum cupiebat: jubet ergo eum abripi. quid Theramenes? le-  
gis auxilium implorat, petit ne indicta causa interficiatur. Hic  
vero Critias, quid tu, inquit, patrocinium in lege quaris? que  
loquitur de ijs, quorum nomina sunt in catalogo; ex quo ECCES-  
tuum delco. Ita & legem elusit Critias, & hac sua sophisti-  
ca Theramenem perdidit. Quām verò multos Critia similes  
inveniri toto orbe existimatis, Auditores?

Transeo ad vitam privatam, quam hac ab Furia miris  
modis ex agitari, si quis non cernit, iū profecto cucurbitas lippit.  
Meministis quām egregiū, quām docte Pythius quidam argen-  
tinam

tinam Syracusis faciens, C. Canium equitem Romanum, hominem nec infacetum & satis litteratum, in emendis hortis circumvenerit. Nec ignorari credo poenam reticentiae, ad compescendam frenandamq; hominum in venditionibus decipiendi libidinem à Jureconsultis dictam. Nam quid in conversatione quotidiana fiat, quam crebra in congressibus mutuis sit fraudum machinatio atq; celebratio, res ipsa loquitur; nihil enim est hodiè in hominibus ferè frequentius, quam aliud dicere, aliud sentire. Atq; hac est communis per vulgataq; huius aevi sapientia: quā qui prædicti non sunt, iij nec venusti, nec prudentes censemur.

Descripti turpitudinem Sophistices ex ijs rebus, in quas illa imperium facit, quibusq; suum venenum inhalare solet. Quæ omnia, si corporis oculis aspicere possemus, mirabile sophistices odium in nobis excitarent. Quod si qui forte adhuc sunt, qui hujus tanti mali obscenitatem nondum agnoscere queant: hi, quoq; animum adhortant ad ea, ex quibus quasi composita & conflata est Sophistice. Est enim hæc Memphis, non unius, sed plurimorum teterrimorumq; vitorum structura. Ejus tellum est astutia: parietes, vanitas & columnæ: fundatum, malitia & perfidia: propugnacula, mendacium & tyrannis. Quæ, qualia sint, mecum, quoq; altius repetite. Momus, ut scitis, reprehendit hominum fabricam, quod ad pectus non esset apposita fenestra, per quam in cor inspiceretur. Laudeant hæc fenestra neglectione Sophista! latentur hæc incuria conditoris homines dolosi! exultent hæc fabricatoris indormitione mendaciorum fabri! si enim juxta Momini regulam facta hominis fabrica fuisset: vah! quam pessimè cum ijs ageretur! tellio enim remoto sublatoq; recta in cor ipsorum pectusq; inspiciendi facultas foret cuivis. Ast nunc triumphant, nunc tripudiant, cum sciant, se non solum, quæ cogitant, astutæ celare, sed ita multis etiam simulationum involucris

lucris naturam tegere posse, & quasi velis frontem, oculos, orationem obtendere, ut juret Diagoras, ne quidem Deum fore, cui tanta, tamquam acuta oculorum acies sit, qua ad ea penetrare possit. Itaque sub hac larva tutum se latere posse Sophistice rata, incipit secum commentari, quibus artibus hoc suum elegans scilicet testum fulciat. 836 fol. 8Advocat ergo duo fulcra, eaque magna inter homines numina: Vanitate in, qua seipsam sine rivali amat, sibi omnia arrogat; & Calumniam, hoc unicè agentem, ut in dictis & factis querat, quod subdolè vel interpretur, vel invertat, vel extendat, vel detrahatur, vel inflectat, vel circumducatur. Non est autem existimandum, sine basi, fundo licet careat, sophistices opus esse exterritum; habet ipsa pro defensione lapidibus maliciam: profundamento perfidiam: his angularibus nititur Sophistice, in his tota inclinata incumbit. Atque hac exhibet, ubi cum communi hominum natione sibi est agendum. Quod si fortè in prudentiorem incidat: tum vero ad propugnacula, qua diximus, advolat, inquit ijs opem auxiliu[m]q[ue] strenuè querit. Ac primum mendacijs maximo se & suas merces exornat opere: voluntatis significationi umbram facit; sermonem dolis exornat; mores fuso tingit; gestum purpurissimo colorat, omniaq[ue] sua doctis fabricis mirifice pingit; sicut statue quondam pingebantur in magnis festis. At da cor datum, qui nec istas imposturas curet, nec oculos hincenarrum spectris obduci permittat: ecce tibi aliud Sophistices telum! Tyrannidem præstigiatrix accersit; savitiam invocat; truculentiam conducit; querit prætextus, quibus innocentes opprimat, fingit dolos, quibus contradicentes tollat, adeoque noctes diesq[ue] nihil agit, nihil somniat, nihil fabricat, nisi technas, quibus roceat, qui sophistices laqueis se irretiri non erant passi. O Sophistiken turpem! quis te non averseatur? quis tibi non male preceratur? quis tibi pestem non exoptet, infaustasq[ue] interjectet voces? Nolim existimetu, Auditores, me, cœu ver-

riculamentum aliquod inane & mormoliceon, hanc sophistice  
imaginem tam tetram, tamq; infestam proponere. Contempla-  
mini denud ipse primum ex hominibus natum sophistam Cai-  
num; pro Deum immortalem! quid est eorum, ex quibus edi-  
ficatam Sophisticen diximus, quod in ipso non reperiatur, non  
existat, non insit? quam astutè suum scelus regit? quantas  
apud animum suum, quamq; vanas spes concipit? quam ca-  
lumniosè fratris sacrificium & doctrinam incessit? quam totus  
est & perfidus, & malitiosus & mendax? quam inhumaniter  
& nefarie, quam scelere non audito, fratrem vanitati & men-  
dacijs Fratris non assentientem, furitum trucidat? Arg. his ijs-  
dem virtutibus Cainicis regnum Pontificium condecoratum  
nitere, tam certum est apud me, quam quod certissimum. Vos  
appello, Auditores, vostram fidem imploro, vostrum testimo-  
nium posco: an est illo regno quicquam astutius? an quicquam  
vanius? an quod majore calunnia, malitia maiore, maiores  
perfidia ludat? an quod prægantioribus mendacijs, tyrannide  
callidiore, se defendat atq; tucatur?

Venio nunc ad fructus, quos zeterrima hac meretrix So-  
phistice ex se edit & profert: qui licet ex ijs, qua dicta sunt,  
intelligi possint; plenius tamen explicandi videntur. Religioni  
enim perniciem, rebus publicis pessem hac pessis affert: eademq;  
scholas verat, leges affigit, judicia corrumpt, artes contami-  
nat, totam vitam humanam turbat. Atq; de Ecclesia quid  
dicam, quidvè taceam, propemodum nescio; tanta hic est male-  
hujus calamitas! Sed tamen, Auditores, quofo, ut ne dedigne-  
mini animis vestris ad tempora Arii iterum respicere. Quod  
enim est in fabulis, veteratores & sycophantas sibi & alijs ma-  
lum suis technis parasse: idem exitus suffarinatas temporum  
Arianorum, de quibus diximus, conciliaciones consecutus est.  
Invadebat Ecclesiam more calamitatum: sufflaminabatur in-  
cendium Arianum: pii premebantur: florebant impii: imbe-  
cilles

cilles & indocti perturbabantur, distractio[n]esq[ue] animorum  
tante erant, ut non modò Julianum Imperatorem religiones  
Christianâ abjectâ Ethnicam amplecti invitarent; sed tandem  
quoq[ue] Mahometem excitarent, qui non solum plausibile  
doctrina genus effinxit, verum ut ijs, quibus totus terrarum orbis  
tum agitabatur, contentionibus finem imponeret, ferro & flam-  
ma est persecutus omnes, quotquot ex Catholica, Ariana &  
Thalmudica doctrina consarcinata[m] conciliationem Mahome-  
tanam improbarent.

Possem plura in eam rem afferre, si hujus temporis ratio  
permitteret; nisiq[ue] ad alios hujus bellua fructus properandum  
foret: quos tomen paucis perstringam. Nam de Politijs cer-  
tum est, eas nullam altiundē, quam ex sophistice, plagam majo-  
rem unquam accepisse. Hec res Spartanos quondam ever-  
tit. Hac Athenienses pessimdedidit. Hac Trojam solo equa-  
vit. Verum enim in omni avofuit & erit, quod ex gentilita-  
te quidam dixit: ubi Magistratus sophismatis scarent,  
faciuntq[ue] pluris odia sua, quam patriam, que genuit ipsos,  
& adeò æternum Deum: hanc civitatem tandem prospe-  
tro celsante cursu, procellis subrutam iti. Quanta autem  
civilium legum judiciorumq[ue] calamitas sit sophistice, id vel  
unicum illud sermone vulgari usurpatum diverbum testatur,  
quo ajunt, inventa lege, inventam esse fraudem legis. Nec  
opus esse autem advocare huic artes, quibus mechanici sua  
opera corrumpunt, aut prestigias, quibus in contractibus lu-  
ditur. Ipsa vita quotidiana in accusationibus & defensioni-  
bus, in laudibus & vituperationibus, in suadendo & dissua-  
dendo, in testimonij, fæderibus, amicitijs, in promissis, in mer-  
catura, in commutatione rerum, in consilijs dandis, in collo-  
quijs, sodalitijs, convivij, moribus, gestibus, in ceteris, que ad  
humanitatem pertinent rebus, testimonia suppeditat omni ex-  
ceptione

ceptione majora, quanta incommoda, quantum d'anni in singulari vita partibus ex sophistice enata sentiamus: ut nullo modo dubitem affirmare, quo frequentius & crebrius, eò deterius & pejus esse hoc malum: idq; vel maxime ob hanc causam, quod nihil magis vitam hominis commaculet, quam sophistice, nihil majore labore genus nostrum deturpet, quam fraus & dolus. Est enim homo opus Dei ad omne genus honesti, ad simplicitatem, ad candorem, ad veritatem à Deo fabrefactus: Sophistice autem est Diaboli soboles, serpentis gehennalis progenies, Satana mendacis & patris mendacij satura, naturam genitoris ex amusum referens. Motitur Sophistice deceptions? prudens vult videri, blasphemiam serit? pia audire satagit, impudentiam seminat? pudorem jactat, fallacias, dolos, insidias struit? salutem, amicitiam, pietatem in ore semper habet. Itaq; rectè existimatum est, neg<sup>r</sup> paupertatem, neg<sup>r</sup> dolorem, neg<sup>r</sup> catena, qua possunt aut corpori accidere, aut rebus externis, tam esse contra civilem societatem, atq; fraudus ac sophistice. Etenim Sophistice, cùm fidem, qua est societatis humanae vinculum & fundamentum, è medio afferat: tūm simul omnes contractus, Omne jus, omnes leges, omnes bonos mores ex rebus humanis tollit. Nero optabat omnium ci-viam Romanorum cervices unam factas carnificis se posse servari subiecere: Sophistice re ipsa, fraudibus suis, omnes nervos consociationis honestos, quasi uno ictu, flagitosissimè incidit.

Itaq; & à sanioribus Ethnicis vehementissimè hæc belua exagitata fuit. Homerus Sophistiken ad orcum amandat: Plato, tanquam Dijs & hominibus exosam, execratur; Græci, ut irridenter, dixerunt Sophistas Φύγας λευκές pustulas albas in naso habere: Juvenalis ex consortio hominum exterminandam fraudem clamat. Qua quidem, in Sophistas dicta,

dicto, sunt ita gravia, ut nihil possit esse gravius: longe ta-  
men horribilior est malum, quod occulte huic & intesti-  
ne pessi Deus ipse minatur. nam & ipsos Sophistas, vivos  
quidem sterilitate, ignig, domos & facultates devorante,  
alijsq, calamitatibus mortuos verò vivosq, aeternis supplicijs  
mactatum iri, edicit: & in horum posterios plagas haud leves,  
egestatem, penuriam, infamiam redundaturas, intonat Jebo-  
va. Eat nunc aliquis, & Sophisticen tam turpem, tam im-  
manem, tam rabidam, tam exitiosam prestigiatrixem mibi  
amplexetur atq, foveat.

Sed nunc tempus esse video, Auditores, ut quibus ar-  
tibus hoc malum declinandum sit, ostendam. In qua  
quidem re brevitati studebo. Vos me, quâ cepistis benevolen-  
tiâ, Auditores, benignè tantum audite. Principù autem,  
qui hanc pestem effugere volunt: velle autem omnes debe-  
bunt: operam dabunt veritati. Fieri enim non potest, ut  
per sophisticen vel decipiatur, vel decipiatur is, qui in doctrina  
de Deo, in artibus vita necessarijs, in judicijs, in tota vita  
veras sententias investigat, amplectitur, amat, qui eas con-  
stanter retinet dicit & facit: quiq, in moribus efficit, ut ser-  
mones & gestus cum animo congruant. Quemadmodum  
in fidibus & cantu, si quid dissonat, judicio aurium statim  
senitus: sic veritas ipsa parvo nonnunquam in indicio osten-  
ditur, nec potest illa vanitatis involucro tegi, quin vel statim,  
vel paulò post conspiciatur & appareat. Verum enim verò  
nemo thesaurum invenire potest, nisi locum notum habeat,  
ubi is lateat aut absconditus sit: ita nemo veras de rebus ar-  
duis & magnis sententias amplecti & tueri potest; nisi illas  
perspectas & cognitas habeat. Quare & opus erit ad ef-  
fugiendam Sophisticen eruditione, artiumq, ad vitam  
utilium cognitione, non levij negl joculari, sed multiplici

& solida. Ut enim pseudographias in numeris, ut orationis  
ac sermonis vitia nemo recte judicare potest, nisi qui vel cal-  
culandi scientiam, vel præcepta Grammatices teneat: sic  
rebus affecti facilius agnosci possunt ab illis, qui in litter-  
is & disciplinis, quibus res ille contineantur, sunt eruditii.  
Quam eruditionem cum in Academijs potissimum conse-  
quimur: meritò nobis, Auditores, gratulemur, quos Deus  
in hoc vita genere constitutos esse voluit: nec moveamur  
hominum nauci & nihil voculacionibus, qui vel soliditate  
inflati, hunc nostrum honestissimum catum contemnunt, vel,  
opibus elati, quibus possint technis, convellere student atq.  
nituntur. Demus autem & ipsi operam, ut hanc spar-  
tam exornemus, nec eam cyclopicis moribus deformemus.  
Torquem aureum non optamus porco: cum sciamus, eum,  
nulla habitâ ornamentiratione, proboscidem in stercore im-  
mergere. Planè idem mihi videntur facere, qui studijs dedi-  
ti, tamen se in voluptatum & scelerum cano volutant.  
At mala aurea gratiora fiunt, si in argentea lance convivis  
apponantur. Pari modo vita conditio honesta & illustris  
fit illustrior, si qui eam colunt; ad virtutis studium incum-  
bant, & probitatem omni contentione sequantur. Sed tamen  
ad declinandam Sophisticam non sufficit sola rerum plurima-  
rum cognitio: opus est & divinitus excitata prudentia,  
qua semper excubet, ut nihil improvsum accidat, nihil ino-  
pinatum, nihil novum. Hec enim verè est Minerva, que  
regit nos, ne incognita pro cognitis, incerta pro certis, falsa  
pro veris habeamus, ijsq; temere assentiamur, sed ut certas  
quaramus, inq; h̄a investigandū, inq; totius vita consilijs  
non solum sequamur normam divinam, sed mentem etiam  
dexteritate singulari & acumine res abstrusas perspicere  
valentem, divinitus nobis dari, & eventum à Deo regi-  
psta.

petamus. Haec igitur sunt praecipua artes, quibus opus est ad effugendum tētērimum Sophistices monstrum.

Sed, quod paulo ante de disciplinarum cognitione dicebamus, eam ad Sophisticen declinandam requiri: id multi non tam de toto doctrinarum genere, quam de quibusdam partibus, & imprimis de Rhetorica & Eloquentia pertinaciter negant; quorum est minuenda opinio. Verè enim statuimus, veram hominis pulcritudinem in ratione & sermone elucidere: elegantemque & eruditam orationem esse maximum hominis decus, esse salutis arcem, non quidem manu factam, sed interim inexpugnabilem; esse hominis proprium, eidemque singulari Dei beneficio concessum. Neminem autem posse hujus eximij decoris compotem fieri assertimus, qui præstantissima artis Rhetorica cognitione destituatur, nam qui hanc carent, iij nec verba cum iudicio diligere, nec res aptè collocare, nec terminis legitimis sententias concludere, poterunt: nihil afferent ad delectandum, nihil ad docendum, nihil ad mouendum: ignorabunt, ubi grandia gravi, media mediocri, levia attenuata orationis figuræ sint representandas: deniq; qui dicendi artis noitiam non sunt assicuti: illi in optimis auctoribus, sive sacris sive profanis legendis laterem lavabunt, operam, & oleum perderent, nihil efficiant:

Abeant ergo in magnam malam rem, qui cum cæteras disciplinas, tum Rhetoramicam vituperant. nos autem, ut eam magnificimus, sic obsonandi artem, quæ se vanissime jactitat, quæ non ad usum, sed ad gratiam concionatur, quæ veri specie

A. 3 impe-

imperitos decipit, innocentes opprimit,  
scelestos pœnis eripit, in pejus consilia de-  
ducit, bella & seditiones excitat: hanc  
fucandi artem rejicimus, damnamus, inferno  
mancipamus. Eodemq; Sophisticen aman-  
damus, quæ aliud loquitur, aliud sentit,  
doctisq; dolis lucem hominibus eripit, &  
noctem quandam offundit. O præstigiatrix  
Sophistice! quantum in te est malorum. tu  
fontem salutis verbum Dei tuâ impietate  
inficis! tu Rempublicam tuo veneno e-  
nervas! tu omnes vitæ humanæ partes  
tuo scelere coinquinas! tu ex vanitare &  
malitia, ex perfidia & calumnia, tu ex  
mendacijs tota es compacta! tu filia Dia-  
boli, omnium malorum in mundo es cau-  
sa! tu Doctores Ecclesiæ inter se commit-  
tis, Reges incendis, Respublicas & oppida  
evertis; tu leges & judicia corrupcis; ci-  
vilem societatem defœdas; congressus ho-  
minum turbas; pijs infidias struis; impios  
& sceleratos foves: tu eos, qui te colunt,  
peccundas; qui te amant, perdis; qui te  
magni-

magnificiunt, in sempiternos inferni crux-  
ciatus demergis. Hanc nos, Auditores,  
pestem ut effugiamus, dabimus Deo adju-  
ti operam, ut veritatem ex animo secte-  
mur; disciplinas honestas studiosè colo-  
mus; benè dicendi facultatem ac vim ve-  
rè nobis comparemus, vel rectè usurpe-  
mus: mentem deniq; sagacem ac bonam  
ab Opt. Maximo impetremus, & quid fu-  
turum sit, ei committamus, ex quo sunt  
omnia, per quem sunt omnia; in quo sunt  
omnia: cui sit laus & perennis gloria pet-  
infinita & indefessa & immortalia  
secula seculorum,

DIXI.



...lum. Et quod non solum  
in aliis datur, sed etiam in  
liberis. Non enim est libe-  
ratus qui non liberatur ex  
aliis. Quod si quis libe-  
ratus est ex aliis, non  
liberatur ex aliis. Non  
liberatur enim ex aliis  
qui non liberantur ex  
aliis. Non enim est libe-  
ratus qui non liberatur ex  
aliis. Non enim est libe-  
ratus qui non liberatur ex  
aliis. Non enim est libe-  
ratus qui non liberatur ex  
aliis.

lxix






cilles & indocti perturbabantur, distractantes erant, ut non modò Julianum Imperium Christianam abjectam Ethnicam amplecti invenerentur, Mahometem excitarent, qui non solum genitrix genus effinxerat, verum ut ipsi, quibus tum agitabatur, contentione finem imponere est persecutus omnes, quotquot ex Caï Thalmudica doctrina consarcinata concitanam improbarent.

Potsem plura in eam rem afferre, si hinc permitteret: nisiq; ad alios hujus bellua fruforet: quos tamen paucis perstringam. Natura est, eas nullam aliundem, quam ex sophi rem unquam accepisse. Hec res Spartarit. Hec Athenienses presumderunt. Hec vit. Verum enim in omni avo fuit & erit te quidam dixit: ubi Magistratus sophi faciuntq; pluris odia sua, quam patriam, & adeò aeternum Deum: hanc civitatem cœlante cursu, procellis subrutam ita, civilium legum judiciorumq; calamitas, unicum illud sermone vulgari usurpatum a quo ajunt, inventâ lege, inventam esse fruropus esse autemo advocare huc artes, quibus opera corrumpunt, aut prestigias, quibus induitur. Ipsa vita quotidiana in accusationibus, in laudibus & vituperationibus, in dendo, in testimonij, fæderibus, amicitijs, catura, in commutatione rerum, in consilij, quij, sodalijs, convivij, moribus, gestibus humanitatem pertinent rebus, testimonia

C



rum  
iones  
ndem  
le do-  
orbis  
flam-  
na &  
bome-  
ratio  
dum-  
s cera-  
maj-  
ever-  
equa-  
tilita-  
tent,  
ipso-  
ospe-  
item-  
id vel  
tatur,  
Nec  
i sna-  
us lu-  
fessioni-  
lissua-  
mer-  
collo-  
ua ad  
ni ex-  
ptione

Patch Reference Chart TEC63 Serial No. 1